Indiarum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum.

Stantibus &c.

D U B I A.

Primum: *An liceat Provincijs Indiarum constituere Procuratores sibi bene visos, pro eorum negotijs in quocumque loco sine licentia, consensu, aut consilio Patris Commissarij Generalis Indiarum in casu, &c.*

Secundum: *An Procuratores, ut supra, constituti, vel constituendi, præter litteras obedientiales, & Mandatum Procuræ, teneantur quoque ostendere eidem Commissario Generali Instructiones secretas, & singula negotia sibi per Provincias commissa, & propterea an Sententia dicti Reverendissimi Patris Commissarij Generalis Indiarum in hac parte sit confirmanda, vel infirmanda in casu, &c.*

Eme, & Rme Dne. ETSI Religio Minorum Observantium Discalceatorum duas habeat Provincias in Indijs occidentalibus, quarum una vocatur S. Didaci in Regno Mexicano, altera verò S. Gregorij in Insulis Philippinis, ista tamen cum de anno 1735. misisset P. Josephum Torrubia Custodem ejusdem Provinciæ S. Gregorij ad Aulam Matriti, ut, juxta solitum, impetraret à notissima, & inexplicabili pietate, & Religione Serenissimi Catholici Regis missionem sexaginta Religiosorum prosupplendis indigentijs d. Provinciæ, quæ jam Operarijs Evangelicis ferè destituta erat, pro conversione Indorum, eorumque institutione in Catholica Religione, nihilominus strictè eidem injunxit, ut post biennium ad Insulas Philippinas omninò reverti, deberet cum eisdem PP. Missionarijs, quibus summoperè d. Provincia indigebat.

2 Ultra hoc principale mandatum, quod habuit dictus P. Torrubia, & pro quo expeditus specialitèr fuit à Provinciali, & Definitorio, injunctæ eidem fuerunt aliæ Commissiones levioris momenti, & facilis terminationis legendæ in Instructione *Summ. num. primo*, reliquæ verò gravioris momenti, difficilis exequutionis, & requirentes spatium longioris temperis, ex quo

vel judicialiter agitandæ erant, vel à Serenissimo Rege impetrandæ, mediantibus solitis consultationibus, prævia matura ponderatione faciendis à Regio Consilio Indiarum, omnes destinatæ fuerunt, ut exequerentur à Procuratore Conventus S. Egidij Matriti commorante, tamquam optimè instructo Consuetudinum, Statutorum, & morum proprij Instituti Discalceatorum, ut apparet ex altera instructione sub eodem die, mense, & anno, quo præcedens Patris Torrubia conscripta fuerat, transmissa ad dictum P. Procuratorem S. Egidij *Summar. n.* 2.

3 Advento dicto Patre Torrubia Custode ad Aulam Matriti, impetrataque Missione Religiosorum, penitusque derelicta cogitatione illam ad Indos transportandi, ut sui Instituti ratio exposcebat, studiosè se immiscere procuravit in negotijs gravioris momenti Procuratori S. Egidij commissis, ut inde occasionem caperet permanendi Matriti, ubi novos pro sui persona meditabatur honores, Chronistæ nempe Indiarum, qua de causa Conventum Descalceatorum S. Egidij, ubi morabatur, dereliquit, ad illud PP. Minorum de Observantia se transferendo, & interim grave exarsit litigium in Regio Consilio Indiarum super facultatibus dd. Procuratoribus competentibus, quo remisso à d. Regio Consilio ad P. Ministrum Generalem totius Ordinis, eodem tempore fungentem etiam altero Commissatij Generalis Indiarum, iste nimium favens P. Torrubia, atque occasionem aucupans dilatandi fimbrias Jurisdictionis Commissarijs Indiarum competentis, non solum sententiam protulit in omnibus contrariam dicto Procuratori S. Egidij, verum quod gravius est, multa intulit gravamina Provincijs Discalceatis Indiarum legenda in dicta sententia *Summar. n.*3.

4 Interposita verò appellatione ad hanc Sac. Congregationem à dicta Sententia, ac transportatis actis, licèt Procurator S. Egidij hucusque eam non fuerit prosequutus, nihilominus ad propria jura sarcta tecta servanda, eam prosequuntur dd. Provinciæ Indiarum Principales nostræ, per R. P. Fr. Pettum à Jesu Custodem ddq. Provinciarum, super hoc negotio Procuratorem, qui quidem cum expresso Regis Catholici consensu ad hanc almam urbem non solum pro hoc, sed & pro alijs negotijs venerat, & proinde citato, ac contradicente P. Commissario Curiæ, concordata fuerunt præinserta Dubia, favore earundem Provinciarum resolvanda, quemadmodum humilimè supplicamus.

5 Resolutio quippe primi Dubij, in quo quæstionem facimus = *An liceat Provincijs Indiarum, constituere Procuratores sibi bene visos pro eorum negotijs in quocumque loco sine licentia, consensu aut consilio P. Commissarij Generalis Indiarum in causa, &c.* = facilis, & plana est favore dd. Provinciarum, sive attendatur dis-

dispositio juris, sive Constitutiones Apostolicæ specialiter editæ pro Discalceatis, sive naturalis, & obvia ratio, ac Facti peculares circunstantiæ specialiter ferientes, eosdem Patres Discalceatos.

6 Et sanè juris dispositio dictat, quod unicuique liceat Procuratorem, Actorem Syndicum, & quovis alio nominè nuncupetur, constituere dummodò non reperiatur in jure prohibitus juxta Textum litteralem in *leg. Mutus, & Surdus* 43. *vers. Cum quæritur, ff. de Procur. Gollin. eodem tract. part.* 3. *cap.* 5. *num.*123. *Rota dec.*736. *num.*10. *coram bon. mem. Molin. tom.*3. *part.*1. ob illam sanè rationem, quod Edictum hoc prohibitorium est, & proindè si expresè quis in jure non prohibeatur sibi posse constituere Procuratorem, sub illo non comprehenditur, juxta ea, quæ prosequuntur *Hostien. in Summa tit. de Procurator.* §. 3. *In principio Cujacc. ad dictam leg. Mutus, & Surdus inter ejus Oper. Edit. Neap. tom.*5. *pag.mihi* 114. *litt. E. Reiffenst. in Jus Can. lib.*1. *tit.*38. §.2. *n.*25. *Pax Jordan.Lucubr. tom.*3. *lib.*14. *tit.*2. *num.*15.

7 Tantum autem abest, quod Provinciæ Discalceatæ prohibeantur sibi facere Procuratores, ut tàm de jure civili, quàm de jure Canonico hoc eisdem sit permissum: Cum enim indubium sit, easdem constituere, & componere Collegia licita, & Universitatem omnium Religiosorum cujuslibet Provinciæ repræsentatæ per Patrem Provincialem, & PP. Definitores, hinc propterea fit, quod Universitatibus, & Collegijs semper licitum fuit habere Procuratores, vel Actores specialiter ad lites, quemadmodum disponit *Textus in leg.* 1. §. *Quibus autem, ff. Quod cujusque Univers. nom. &c.* ibi = *Quibus autem præmissum est Corpus habere Collegij, Societatis, sive cujus alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum Reipublicæ habere res communes, Archam communem, & Actorem sive Syndicum, per quem tanquam in re publica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, & fiat* = & consentaneè quoque firmarunt DD. ibidem communiter, & signanter *Bald. in dicto* §. *Quibus autem num.* 1. *Bruneman. num.* 4. *Dionys. Gothofred. verb. Syndicum litt. M. Golin. de Procurator. par.* 1. *cap.* 3. *n.*21. *Merill. Differentiar. cap.*3.

8 Et hoc ipsum procedit etiam ex Censura juris Canonici, qua mediantè, dispositum habemus, quod cuique cætui Universitatem, vel Collegium repræsentanti hoc sit permissum, ut in puncto de Scolaribus Universitatis Parisiensis respondit *Summus Pontifex in cap. Quia in causis* 7. *de Procurator.* & ad normam ejusdem Canonicæ dispositionis communiter quoque tradiderunt *Glossa ibidem, verbo de Jure Communi, Gonzal. in Not. num.* 2. *Barbos. num.* 1. *Reinfenstuel in*

 Jus

Jus Canon. lib. 1. *tit.*38. §. 2. *sub num.* 26. *vers. Insuper quod Universitas.*

9 Agendo verò specialitèr de privato Conventu, vel Monasterio est pariter *Textus in cap. unico de Syndico*, ubi datur facultas privato Monasterio Siciliæ sibi constituendi Procuratorem ad lites, etiam stabilito, & Convento stipendio, & loquendo de Monasterio, vel Conventu sequendo dispositionem dicti *Textus in cap.unico,& in cap.*2. §.*Si Judices de in integr. rest.* hoc ipsum communiter docuerunt *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. Jur. lib.* 49. *cap.* 5. *Gonzal. in d. cap. unico de Syndic. num.* 6. *&* 9. *Rodrig. quæst. Regular. tom.* 3. *quæst.* 41. *art.* 1. *Mend. de Jur. Accadem. lib.* 1. *quæst.* 73.

10 Si ergo, utraque dispositione attenta, tàm nempè Juris civilis, quàm Canonici, Universitatem repræsentantibus, vel Collegium facientibus, permittitur Syndicum habere, qui pro eodem in Judicio compareat tàm agendo, quàm excipiendo, imò etiam cuilibet privato Monasterio, & Conventui hoc idem non denegatur, imò expresse à Summo Pontifice conceditur, est ne ergo duabus Provincijs, mediantibus proprijs Superioribus legitimè congregatis, & per quos tota Provincia repræsentatur, hoc denegandum, quando privato Conventui permittitur, ut ducto argumento à minori ad majus per *Text. in auth. multo magis, Cod.de Sacrosanct. Eccles.* discurrit *Rota decis.* 18. *num.* 12. *tit. de Solution. coram clar. mem. Cardinali Falconer. decis.* 128. *num.* 3. *coram bon. mem. Lancett. decis.* 251. *num.* 23. *part.* 8. *& decis.* 549. *num.* 15. *part.* 19. *Recen. & in Toletana Canonicatus* 14. *Februarij* 1724. §. *A qua profectò cor. bon. mem. de Gamaches.*

11 Dispositioni juris consonant Constitutiones Apostolicæ editæ pro felici gubernio Discalceatorum à san. mem. Urbano VIII. impressæ in *Bullar. tom.* 5. quarum prima in ordine *la* 245. expresse præcipit, quod Ministri Generales Ordinis nullo pacto valeant impedire, aut dilatare electiones, resolutiones, Decreta, Sententias, & alia Negotia, quæ in Congregationibus Definitorialibus Discalceatorum fieri contigerint, *ut in* §. 5. ibi = *Quod Ministri, seu Prælati Provinciales, Congregationes particulares, quas Definitoriales vocant, &c. liberè, & licitè convocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones, &c. & quascumque Causas, &c. & negotia, &c. tractare definire, & sententiare posint, quodque Prælati Generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes Particulares, &c. aut casuum electiones, seu definitiones, vel Decreta, &c. nequaquam impedire, &c. nec dilatare valeant, &c.*

12 Si ergo PP. Discalceati liberè, & licitè convocare possunt Definitoria, & in eisdem quæcumque negotia tractare, ac quascum-

cumque resolutiones capere ; quæ nullatenùs impediri, & dilatari possunt à Prælatis Generalibus Ordinis, quales adamussim sunt, vel Minister Generalis, vel Commissarius Indiarum, patens est, propterea, quod libertas illa, qua fruuntur Provinciæ Indicæ Principales, sive ex utriusque juris dispositione, sive specialitèr ex voluntate Papæ in quocumque negotio tractando, & expediendo, nimis læsa remaneret, si nequirent Procuratores, Defensores, & Syndicos sibi constituere pro causis defendendis, & agitandis, cum nullatenùs verificaretur illa libertas, si hæc, & similia facere non valerent, quemadmodum ad propositum arguunt *Abb. cons.* 8. *num.* 7. *in fine, & seqq. Surd. cons.* 2. *num.* 34. *Cyriac. controv.* 205. *num.* 156. *& seq. Rota decis.* 157. *num.* 24. *par.* 11. *Recen. & decis.* 11. *ante num.* 9. *de Offic. Ordinar. coram clar. mem. Card. Falcon.*

13 Alia verò Constitutio ejusdem Urbani VIII. *eod. tom.* 5. *Bullar. in ordine la* 309. verbis cubitalibus percutit, & decidit casum nostrum, nam in ea disponitur, quod tàm Hispanicæ, quàm Indicæ Provinciæ Discalceatorum facultatem habeant mittendi Procuratores ad Romanam Curiam, etiam ex proprijs Religiosis, quotiescumque se obtulerit occasio pro pertractandis negotijs propriarum Provinciarum juxta aurea verba ejusdem Constitutionis §. 7. ibi = *Dantes iisdem Fratribus Discalceatorum, Provincijs, & Custodijs Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi facultatem, mittendi ex eisdem Fratribus Discalceatis suos proprios Procuratores ad Romanam Curiam, quotiescumque sese obtulerit occasio pro negotijs earundem Provinciarum, & Custodiarum, Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi pertractandis. Volumus autem, ut salvis supradictis, dicti Fratres Discalceati Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi in reliquis subjecti remaneant Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Ministri eorundem Fratrum de Observantia Generalis pro tempore existentis, &c.*

14 Ex quibus verbis, ni fallimur, casus noster omninò decisus remanet ; namsi datur facultas mittendi Procuratores, etiam ex proprijs Religiosis pro tractandis, & expediendis negotijs propriarum Provinciarum, pernecesse dicendum est, eisdem Provincijs Principalibus datam etiam fuisse facultatem illos constituendi, & creandi, nam concesso consequenti, indubitantèr concessum videtur antecedens, sine quo stare non potest consequens, juxta jura vulgata de quibus *Textus in l. Cui jurisdictio, ff. de Jurisdict. omn. Jud. cap. Cum quid, ubi DD. de Regul. Jur. Ruin. cons.* 114. *n.* 5. *lib.* 2. *Surd. decis.* 194. *n.* 32. *Rota decis.* 96. *num.* 4. *&* 5. *par.* 10. *Recen.*

15 In quarum Constitutionum Apostolicarum debitam observan-

 tiam,

tiam, & reverentiam Capitula Generalia Ordinis semper, & inconcusè absque ulla dubia, vel sinistra interpretatione hanc eandem facultatem PP. Discalceatis mittendi Procuratores pro negotijs Provinciarum sarctam tectam servarunt, ut specialitèr videre est in illo celebrato Mediolani de anno 1729. cujus Statuta, & Decreta Typis impressa fuerunt Matriti de anno 1734. in quo *cap.*12. §.6. *num.*12. hæc habentur, ibi = *Concessa tamen est eisdem Provincijs Discalceatorum facultas mittendi ex eisdem Fratribus Discalceatis suos proprios Procuratores ad Romanam Curiam, quotiescumque se obtulerit occasio pro negotijs earundem Provinciarum pertractandis* =

16 Hisce omnibus mirabilitèr obsecundat ratio satis obvia, & evidens, eo quia si eisdem Provincijs non liceret sibi habere Procuratores, nimis læderentur in eorum juribus, cum universitatem componentes non possint per se comparere in judicio, unde pernecesse habere debent Syndicum, vel Defensorem qui agendo, vel excipiendo jura eorundem Judicibus exponat, & hac de Causa jura nostra eisdem facultatem constituendi Procuratorem concesserunt, quemadmodum egregiè considerat *Gonzal. in dict. cap. unico de Syndico sub num.* 9. & quatenùs contrarium diceremus, vel jura earundem Provinciarum penitus pessumdata remanerent, vel indefensæ omninò essent ex defectu Procuratoris, quorum utrumque est contra omnia legalia principia latè reassumpta per *Navarr. cons.* 12. *num.*5. *de Elect. lib.* 1. *Adden. ad decis.* 3. *num.* 14. *part.* 3. *Recen. Rota decis.* 180. *num.* 16. *part.* 8.

17 Et concomitantur speciales Facti Circunstantiæ, quia ut nobis ostendunt tot Constitutiones Apostolicæ emanatæ sub diversis Summis Pontificibus nempè Clementis VIII. Gregorij XIII. & Urbani VIII. infinita propemodum exarserunt jurgia, & Litigia cum PP. de Observantia, nec minora cum alijs Religionibus super præcedentijs, processionibus, associationibus Cadaverum, & similibus, undè nimis durum esset, si ex defectu facultatis in constituendo Procuratore hæc omnia in pessum irent, in grave damnum, & præjudicium totius Reformationis Discalceatorum, quæ tamquam Corpus Mancipiorum, non haberet nec velle, nec nolle, & nec etiam jura spiritualia possideret, super quibus justas posset excitare Controversias propria jura defendendo in judicio, quæ cogitare totalitèr alienum credimus à prudentia EE. PP.

18 Expediti à prima parte Dubij, quoad facultatem constituendi Procuratorem, vel Syndicum in genere, descendimus ad secundam, an nempè tales Constitutiones fieri valeant *à nostris Principalibus sine licentia, consensu, vel consilio P. Commissarij Generalis Indiarum*, & facilitèr etiam ab hac subalterna

quæs-

quæstione nos expediemus; quia P. Commissarius Indiarum non pollet alia jurisdictione super Religiosis in Indijs commorantibus, nisi illa sibi delegata à P. Ministro Generali, à quo in hoc munere præficitur, eique in omnibus est immediatè subjectus, ut in Statutis Religionis *cap.* 13. §. *Primo*, *num.* 1. *&* §. 2. *sub. num.* 7. hoc enim tanquam indubitantèr supposito.

19 Dicimus, quod in nullo Statuto Capitulorum Generalium, vel Constitutione Apostolica reperitur stabilitum, quod in constituendis Procuratoribus à Provincijs Ordinis debeat peti licentia, consensus, vel consilium P. Generalis; ergo multò minus petenda est à P. Commissario Indiarum, qui non solùm majori non pollet authoritate, sed est omninò illi subjectus, argumento ducto à majori ad minus, quod in jure validissimum reputatur *Gozzadin. cons. 6. num.* 52. *Rolan. à Valle cons.* 61. *num.* 49. *lib.* 1. *Rota in Recen. decis.* 289. *num.* 35. *part. 6. decis.* 468. *num.* 4. *part.* 13. *&* *decis.* 498. *num.* 39. *part.* 19. *tom.* 2.

20 Imò quod attinet ad præsentem quæstionem, tàm Statutum Ordinis, quàm Constitutio Urbano VIII. contrarium ex professo statuerunt juxta verba superiùs relata in §. *Alia Constitutio*, *&* §. *In quarum*, cum amplissimè facultatem tribuant Provincijs Discalceatorum Indiarum, & Hispaniarum mittendi Procuratores pro negotijs pertractandis absque eo quod requirant licentiam consensum, vel consilium cujusvis Prælati Generalis Ordinis; Si ergo facultas est liberè tributa absque ulla restrictiva, vel dependentia à consensu, vel consilio Prælati Generalis, nimis durum esset, quod hodie contra dispositionem Statuti, & Constitutionis Pontificiæ, ea induci prætenderetur à P. Commissario Generali Indiarum, cui invincibile obstaculum præbent tùm defectus potestatis, de quo *Navar. con.* 8. *de Constit. lib.* 1. *Sot. de Just. & Jur. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 7. *Lezan. Oper. Regular. tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 21. *&* 22. *& cap.* 18. *num.* 11. *Rota decis.* 456. *num.* 1. *& seq. & decis.* 461. *ex num.* 2. *part.* 5. *tom.* 2. *Recen.* tum libertas à Papa, & statuto præscripta, & volita, quæ aliàs nullatenùs esset verificabilis, si ab alterius consensu, & consilio dependeret, quemadmodum prosequuntur *Alex. in leg. Si sic*, *num.* 10. *& de Legat.* 1. *& cons.* 214. *num.* 3. *lib.* 6. *Surd. cons.* 10. *num.* 33. *Rota dec.* 177. *num.* 34. *part.* 5. *tom.* 1. *Recen.*

21 Et specialitèr in nostra hypothesi, quia postquam Urbanus VIII. dictam facultatem concessit Discalceatis, mittendi Procuratores pro Negotijs pertractandis, independentèr à quocumque consensu, vel consilio alterius, statim subjunxit = *Volumus autem ut SALVIS supradictis, dicti Fratres Discalceati Hispa-*

paniarum ; *& Indiarum IN RELIQUIS subjecti remaneant jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Ministri Generalis* = & per eadem ferè verba disponitur in Statuto *cit. cap.* 12. §. *6. sub num.* 13. ergo palam est, quod in mittendis Procuratoribus nullatenùs indigebant consilio, vel consensu Ministri Generalis, cum id clarissimè demonstrent illa verba *salvis supradictis*, quæ cum sint exceptuativa Jurisdictionis P. Generalis, per ea quæ firmant *Ancharan. cons.* 27. *num.* 5. *& 6. Signorol. cons.* 75. *num.* 8. *Cardinalis Tusc. Pract. Conclus. Jur. litt. C. conclus.* 334. *num.* 2. *Theodos. Rub. Singular. Rot. Roman. tom.* 2. *part.* 4. *claus.* 697. *Barbos. de Claus. Usufreq. claus.* 141. *num.* 1. *& claus.* 144. *num.* 4. *& seq.* manifestum redditur, quod si *in reliquis* dd. PP. Discalceati subjecti esse debent jurisdictioni, correctioni, & visitationi dicti P. Ministri Generalis: ergo quoad constituendos, & mittendos Procuratores, jurisdictioni ejusdem P. Generalis minimè subjacent, cum dd. verba *in reliquis* præseferant expressam exceptuationem, quoad res antecedentèr dictas, & narratas, un in puncto animadvertit *Rota decis.* 53. *num.* 17. *part.* 13. *Recen. & decis.* 894. *num.* 11. *& decis.* 967. *numer.* 8. *coram bon. mem. Lancetta, tom.* 4.

22 Quæ omnia adeo vera sunt, ut præcisivè etiam à Constitutione Urbana, & à Statuto Ordinis, etiamsi Res esset de Religioso, vel Monacho, in his, quæ particularitèr ipsi competunt, quod possit Procuratorem constituere absque Superioris licentia, expresse tradiderunt *Innocentius in Cap. I. & A.* 22. *num.* 1. *de Senten. & Re judicat. Anton. de Butr. ibidem sub num.* 1. *vers. Nota primo, Abb. Panormit. num.* 24. *& seqq. Navarr. in Can. non dicatis* 12. *quæst.* 2. *& cons.* 12. §. *Ad secundam tit. de Election. lib.* 1. & de particulari Monasterio, vel Conventu, quod absque consensu Prælati, in his, quæ separatim pertinent ad illum, notantèr dixerunt quoque ex eodem *Innoc. in cap. Edoceri, num.* 6. *de Rescript. Navarr. dict. cons.* 12. *tit. de Election. lib.* 1. §. *Ad secundam respondeo*, ibi = *Conventus in his, quæ separatim pertinent ad illum, potest constituere Procuratorem sine consensu Prælati* =, *&* §. *Ad tertiam respondetur*, ubi, quod non potest Provincialis revocare Procuratorem à Conventu aliquo legitimè constitutum, *Roderic. Quæst. Regular. tom.* 3. *quæst.* 38. *art.* 1.

23 Imò de Procuratore constituto à quodam Conventu, quem noluit approbare quidam Provincialis, illumque revocaverat, in hæc notabilia verba prorrupit doctissimus *Navarr. d. cons.* 12. *lib. primo de Election. sub num.* 5. = *Ad quartam respondetur, prædictam revocationem esse Tyramnicam,*

eam , *& omni jure respuendam* , *multis nominibus juri naturali* ; *Divino* , *& humano nitentibus* , *quandoqaidem tollitur libertas à jure communi* , *& particulari Regulæ concessa*, *incutitur timor contra omnes leges*, *contra metum injustum incutientes latas* , *usurpatur* , *& aufertur jus Proximo competens contra jura vetantia jus suum tolli ulli sine consensu* ; *quin & sine culpa puniuntur Insontes* , *imò* , *& sine Causæ cognitione*, *contra omnia jura vetantia Judicibus, ne sine illa procedant* , *& cum magno scandalo Ordinis*, *& Cleri* , *vel Populi totius Regni* , *in quo talia fiunt* , *contra Evangelium* , *& jura statuentia*, *ne quicquam cum scandalo fiat* = & consentaneè quoque eum sequendo , ut referendo dixit *Roderic. Quæst. Regular. tom.* 3. *dicta quæst.* 38. *art.* 1. *vers. Unde infertur*, ibi = *Unde infertur* , *quod non potest Provincialis revocare Procuratorem à Conventu aliquo legitimè constitutum* , *&c.* *& nullo jure* , *neque communi, neque particulari habetur* , *quod Provincialis habeat potestatem constituendi* , *aut revocandi Procuratorem Conventus*, *& sicut lege cautum est* , *ut quilibet regularitèr possit constituere* , *& revocare Procuratorem suum* , *ita nulla lege conceditur regularitèr uni potestas revocandi Procuratorem constitutum ab alio* , *&c.* *unde si Provincialis de facto eum revocaret* , *talis revocatio* , *ait Navarrus* , *quod erit tyramnica*, *& omni jure respuenda* , *jure naturali* , *Divino* , *& humano nitendo* , *quandoquidem tollitur libertas à jure communi concessa* = *Portell. Dub. Regular. Verbo Procurator Monialium sub num.* 2.

24 Si ergo hæc omnia permittuntur privato Religioso , & Monasterio , erunt ne deneganda duabus numerosis Provincijs Indiarum , quæ mediantibus Definitorijs , & Provincialibus, tales Procuratores constituere solent , & cresceret in immensum amaritudo , quia si tales Constitutiones Procuratorum ad libitum P. Commissarij Indiarum essent explendæ , ubi Lites cum Observantibus exardescerent , ex quo P. Commissarius est semper de Familia dd. Observantium , nimis dubitari posset de fideli deputatione Procuratoris ab isto facienda , cum vel sibi benevolos , & dependentes , beneque affectos eligeret ? Quod an in Judicijs tolerandum sit , judicium erit EE. PP.

25 Stabilita ex hucusque enucleatis omnimoda potestate , & libertate penes nostras Indicas Provincias constituendi , & mittendi Procuratores etiam ex eisdem proprijs Religiosis , independentèr à P. Generali , vel Commissario Indiarum tanquam in hoc eisdem minimè subjectos superest , ut pro integra Dubij evacuatione , inspiciamus , an id facere valeant

pro

pro Procuratoribus constituendis *ubique locorum*; Et licèt tàm Bulla Urbana, quàm Statutum Ordinis literalitèr loquantur de Procuratoribus ad Urbem transmittendis, juxta verba superiùs relata, nihilominùs ex rationis identitate eadem potestas, & facultas competit etiam, *ut alibi* eos transmittere valeant, quia eatenus hoc eisdem Discalceatis fuit indultum, quatenùs *sese obtulerit occasio pro negotijs earundem Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi pertractandis* = ut ait Urbanus VIII. in sæpedicta sua Constitutione, cui consonat etiam Statutum *citat. cap.* 12. §. 6. *num.* 12.

26 Si enim negotia supervenire possunt tàm Romæ, quàm Matriti, vel alibi, & magis frequentèr in Consilio Indiarum in Aula Regia, quàm alio loco, ut pro Missionibus transmittendis, pro obtinendis subventionibus charitativis à pietate Serenissimi Regis, pro differentijs, quæ accidunt in illis dissitis Regnis cum Officialibus Regijs, vel Episcoporum, & similibus, ergo tàm Matriti, quam alibi possunt dd. Procuratores constituere, & transmittere, ubi negotia pertractanda erunt, cum Constitutio, & transmissio Procuratorum sit necessaria sequela rerum agendarum; Cum autem hæ se offerant Matriti, ibidem debent transmitti Procuratores, quemadmodum permissum fuit, ut Romæ ijdem Procuratores possent transmitti, quatenùs hic negotia tractanda essent, ita ex eadem ratione possunt hoc facere Matriti, vel alibi, quatenùs occasio se offerat ibidem sua negotia agendi, ducto argumento à rationis identitate, quod in Constitutione Apostolica interpretanda validissimum censuerunt *Card. de Luc. de Regal. disc.* 186. *num.* 8. *bon. mem. Piton. Discept. Eccles.* 54. *num.* 9. *tom.* 3.

27 Absoluto examine primi Dubij, descendendo ad secundum, in quo quæritur, *an Procuratores, ut supra constituti, vel constituendi, præter litteras obedientiales, & mandatum procuræ, teneantur quoque ostendere eidem P. Commissario Generali instructiones secretas, & singula negotia sibi per Provincias commissa, & propterea, an Sententia, dicti P. Commissarij Generalis Indiarum in hac parte, sit confirmanda, vel infirmanda in casu, &c.* = Dicimus, quod omninò resolvendum est favore Principalium, & consequentèr Sententia prædicta omninò infirmanda est.

28 Cum enim libera, & absoluta facultate potiantur Provinciæ Discalceatæ constituendi, & transmittendi Procuratores ubique locorum, protractandis proprijs negotijs, quin in hac re subjecti sint jurisdictioni Ministri Generalis, & multò minus Commissarij Indiarum, cum Constitutio Urbana, & Statutum Or-

Ordinis expresè eximant dd. Provincias, quoad Constitutionem Procuratorum, à jurisdictione Ministri Generalis, ut superiùs ostendimus; hinc propterea succedit, quod si exemptæ sunt quoad principale, nempè in constituendis, & transmittendis Procuratoribus, exemptæ quoque esse debent quoad omnia consequentia, & dependentia ab eadem re principali concessa, & per consequens à propalindis, & communicandis secretis, instructionibus, & negotijs, ad quæ constituti erunt Procuratores juxta communem traditionem, de qua per *Textum in leg. Eos in principio, Cod. de Usur. Alciat. in leg. Nemo potest* 27. *ff. de Legat. primo, Mantic. de Tacit. & Ambig. convent. lib. primo, tit.* 14. *num.* 8. *circa finem, Rota decis.* 311. *num.* 30. *coram Bichio, decis.* 188. *num.* 8. *coram Benincas. & dec.* 432. *num.* 3. *par.* 5. *Recen. tom.* 2. *& in Romana, seu Spoletana Pecuniaria* 5. *Maij* 1723. §. *Talis autem coram bon. mem. Cerro.*

29 Et quatenùs diversimodè diceremus, sequeretur, quod Provinciæ Discalceatæ exemptæ essent quoad majora, non autem quoad minora in eadem subjecta materia rei concessæ, imò, quod graviùs est, essent exemptæ quoad actum in genere, minimè verò circa ea, quæ respiciunt exequutionem ejusdem actus, quæ omnia penitus aberrant à dispositione juris, per ea, quæ ratiocinantur *Molin. de Primogenit. lib. primo, cap.* 10. *num.* 21. *De Marin. resolut.* 18. *num.* 15. *&* 16. *lib.* 1. *Salgad. in Labyr. credit. par.* 2. *cap.* 17. *num.* 46. *Cardinal. de Luc. de Feud. disc.* 79. *num.* 11. *Rota decis.* 190. *num.* 7. *par.* 14. *Rec.* ut imò cautum habeamus, quod concessa facultate aliquid peragendi, censeantur omnia concessa, per quæ idem actus commodè exequi potest, juxta alteram elementarem juris nostri regulam, quam exornant *Menoch. cons.* 14. *num.* 8. *Surd. cons.* 347. *num.* 20. *Mans. consult.* 772. *nu.* 16. *Rota dec.* 1332. *num. primo, coram Emer. jun. dec.* 17. *num.* 8. *de Emption. coram cl. me. Cardinal. Falcon. & decis.* 97. *num.* 13. *inter impress. ad ornat. Cardinal. de Luc. lib.* 10. Cum autem libera fruantur potestate nostræ Provinciæ Principales constituendi Procuratores pro negotijs pertractandis, absque ulla dependentia à Ministro Generalis Ordinis S. Francisci, in necessarium consequens descendit, quod sive ex prædicta concessione, sive ex exequutione concedenda actui permisso, sive quia commodiùs, & faciliùs negotia pertractantur, cessare debet contraria prætensio, ut nempè indicentur res agendæ, vel ostendantur secretæ instructiones datæ Procuratoribus constitutis.

30 Et de facto si veritatem amamus, nescimus quo legali fundamento fundari posſit Sententia P. Generalis id demandans; nam nec aliquod Statutum Ordinis hoc præcipit, nec ulla

Apos.

Apostolica Constitutio hoc jubet; in quibus profectò circunstantiis nimis durum esset, quod novitas hæc introduceretur, per quam fimbriæ jurisdictionis P. Generalis, vel Commissarij Indiarum dilatarentur, quæ fundamentum nullum habet, nec in Legibus Religionis, nec in mandatis Pontificijs, citra quæ omninò est eidem interdictum, nova gravamina introducere, vel novas leges præscribere omninò destructivas naturalis libertatis jure communi, & speciali nostris Provincijs competentis adversùs quas leges vehementèr objurgando, insurgit *Navarr.* loco superiùs allegato, & concordat quoque *Roderic. Quæstion. Regular. tom.* 3. *quæst.* 38. *art. primo*, vocantes hæc omnia veram tyramnidem.

31 Nec hucusque in Ministris Generalibus Ordinis audita est talis prætensio etiam quoad eosdem Observantes, & multominus quoad infinitos Procuratores Provinciarum Hispaniæ in Urbe missos pro negotijs proprijs pertractandis, ut continua nos docuit experientia, qui multas causas Discalceatorum in Congregationibus Eminentissimorum Cardinalium, & in Sacrâ Rota defendimus: Si ergo hæc audere non cogitavit Minister Generalis, eo minus sunt permittenda Commissario Indiarum ejus Subdito Delegato, & ejus vices fungenti in toto illo novo Orbe Terrarum, ut latè de eodem agendo refert *Solorzan. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *ex num.* 41. cui de cætero satis esse poterunt tot illæ prærrogativæ, jurisdictiones, & facultates, quibus potitur respectu Religiosorum Indorum; absque eo quod novo hoc compede eosdem oneret, & aggravet, frangendo Chancellos naturalis libertatis, qua unusquisque frui omninò debet.

32 Sed etiamsi huic exorbitantissimæ prætensioni cedere vellent præfatæ Provinciæ, & Procuratores ad Aulam Matriti destinandi, adhuc ut verum fareamur, nullatenùs possent: Nequirent quippè Provinciæ, quia multoties dissentiones in India oriuntur cum eisdem observantibus, & non raró in Consilio Regio Indiarum conquesti sunt de eodem P. Commissario ob varia gravamina; Si enim hujusmodi negotia, & secretæ instructiones datæ Procuratoribus ostendi deberent P. Commissario antequam res pertractari cœpissent, alterum de duobus accideret, vel quod nullatenùs permitteret eas tractari, tollendo tali medio naturalem defensionem, oppressis contra omnia jura Divina, naturalia, & humana, quod nullatenùs tolerandum est *Menoch. de Arbitr. cas.* 277. & 278. *Card. Tusc. Pract. Conclus. Jur. litt. D. concl.* 130. *Sot. de Just. & Jur. lib.* 5. *qu.* 1. *art.* 8. *Scac. de Appellat. quæst.* 16. *num.* 3.

Vel

33 Vel antequam cum Observantibus Lites contextarentur, ex quo idem P. Commissarius continuò est de eadem Familia ipsimet Adversarij essent instructi de nostris juribus, prætensionibus, & fundamentis, & facillimè instantias Principalium possent eludere, quod pariter devium est à regulis juris, cum satis obvium sit, quodquisque in Judicijs proprijs rationibus, & armis pugnare tenetur, nec ista ullo pacto sumenda sunt de Domo Collitigantis, ut expresse sancivit Imperator *in l. Qui accusare, Cod. de Eden. & l. Nimis grave, Cod. de Testib. Scacc. de Judic. lib. 2. cap. 7. num. 80. Rodulphin. in Prax. par. 2. cap. 3. num. 61. Calderon. resolut. 96. num. 1.* & proindè sive ex primo, sive ex hoc altero motivo nullatenùs permittere possunt, ut secretæ institutiones, & negotia tractanda, priùs manifestentur P. Commissario, cum in manifestissimam perniciem Reformationis tenderent, cujus jura sarcta tecta omninò servare tenentur, nec illis in minimò præjudicare, aut aliquo modo deserere *Cardinal. de Luc. de Regal. disc. 141. num. 10. Rota coram Cavaler. decis. 631. num. 7.*

34 Et potiori jure nequeunt hoc peragere Procuratores mittendi in Aula Matriti, quia non solùm de jure est, ut Procurator diligenter servet fidem Principali, ejusque mandata, ut sibi commissa sunt, omni ope exequi nitatur *Rocc. de Mandat. Not. 17. num. 30. post lib. 1. Respons. legal. Carol. Anton. de Luc. in Append. ad Golin. de Procurator. par. 5. cap. 5. Ansald. de Commer. & Mercat. disc. 61. num. 15.* sed etiam ut utile negotium gerat favore Mandantis *Bonden. Collect. 47. num. 30. lib. 2. Ansald. de Commer. & Mercat. disc. 62. num. 31. Pax Jordan. Lucubrat. tom. 3. lib. 14. tit. 2. num. 202.* quod nullatenùs sequeretur, si proprias instructiones P. Commissario penderet, ob justissima pericula, quibus se subjaceret Procurator, ut superiùs ostendimus, quique ulterius nullo jure, nullaque lege tenetur pandere secreta proprij Principalis, imò illa inviolabiliter abscondere, & tegere, alias enim pro Prævaricatore habetur, & gravissimum peccatum committit *Salicet. in l. 1. Cod. de Dol. mal. Abb. in cap. Cum olim el 2. num. 5. de Offic. & Potest. Judic. Delegat.* ubi, quod Procurator ostendens Adversario jura sui Principalis potest puniri pæna falsi, *Peyrin. de Offic. Subd. Regular. tom. 1. quæst. 2. cap. 3. §. 13. vers. Ex quo sequitur.*

35 Vltra prædicta gravamina, quibus remedium quærimus mediante favorabili resolutione Dubiorum, quæ superius disputata fuerunt, alia etiam gravamina continentur in sententia P. Generalis, super quibus nullum concordari potuit dubium, eò quia Pars Adversa licèt à nobis citata, nunquam comparere voluit ad concordandum de Dubijs coram Emitentissimo Ponente, super eisdem ulterioribus gravaminibus.

Cum

36 Cum enim Provincia S. Gregorij in Insulis Philippinis die 31. Martij 1735. statuerit, quod Procuratores, qui ex Indijs mittuntur ad Curiam Romanam, vel ad Aulam Matriti petere nequeant Brevia Apostolica, ut Cedulas Regias sine permissione, aut injussu Provinciæ, nisi eadem Brevia, vel Cedulæ respiciant commune Bonum Provinciæ, quodque minimè necessarium sit manifestare Prælatis Generalibus ea, quæ majus Bonum in communi, vel Reformationem respiciunt, sicuti liquet ex eadem Constitutione Municipali relata in præsenti *Summario num.* 4. P. Generalis in ejus sententia declaravit nullam ejusmodi Constitutionem, eamque ex libris Capitularibus Chancellari, & aboleri mandavit, *ut in cit. nostro Summario num.* 3. *litt. A.* ac novum superaddens gravamen, mandavit P. Procuratori S. Egidij, ut consignaret Secretario Generali Indiarum omnes, & singulas Scripturas ad Indicas Provincias spectantes, præstito etiam juramento, quod omnia consignasset, *ut in cit. Summ. num.* 3. *litt. B.*

37 In præsenti autem cogimur postulare ab hac Sacra Congregatione infirmationem dictæ sententiæ in utroque capite, quia si loquimur de Constitutione municipali facta à dicta Provincia S. Gregorij respiciente impetrationem Brevium, & Regiarum Cedularum pro communi Bono Provinciæ, & Reformationis Discalceatorum, absque eo quod necesse sit manifestare Superioribus Generalibus instructiones, & prætensiones, & respectivam prohibitionem, ne Procuratores petant pro se ipsis aliquod particulare officium à Superioribus, justissima est; Eo quia in concernentibus particulare negotium, & interesse Reformationis Discalceatorum, nec P. Minister Generalis, nec P. Commissarius Indiarum ulla potiuntur authoritate, & jurisdictione respectu Discalceatorum, cum ex Statuto Ordinis Discalceati se gubernari debeant proprijs legibus, & Constitutionibus, absque eo quod teneantur observare statuta Generalia Ordinis, *ut in d. Statuto cap.* 12. §. 6. *sub num.* 2. imò omninò spernere possunt decreta illa, quæ facta fuerint à Superioribus Generalibus, si propriæ Reformationi essent dissentanea *d. Statuto d.* §. 6. *num.* 3. adeout permittitur Congregationibus Definitorialibus ejusdem Reformationis omnia, & quæcumque negotia expedire in concernentibus propriam Reformationem, Decreta, & sententias facere, quin ullo modo valeant dicta Decreta impedire, dilatare, vel immutare dicti Superiores Generales *d. Statuto d.* §. 6. *num.* 8. & hæc omnia præscripta quoque fuerunt à san. mem. Urbano VIII. in suis Constitutionibus, quarum prima est in ordine *in Bullar. la* 245. §. 4. *&* 5. *& secunda in eodem Bullar. la* 309. §. 4. ut superius quoque demonstravimus.

Si

38 Si ergo ad præscriptum statuti, & Constitutionum Apostolicarum in Rebus ad Reformationem spectantibus, & stabilitis in Congregationibus Definitorialibus Provinciarum, Superiores Generales nequeunt manus Amovere, injustissima est sententia P. Ministri Generalis, quæ dictam Constitutionem municipalem nullam declaravit, eamque à Libris Provinciæ deleri mandavit, & eadem injustitia laborat, si respectum habuit ad instructiones non manifestandas eisdem Superioribus Generalibus, ut probavimus supra in examine secundi Dubij. Absque eo quod in aliquo redarguatur dicta municipalis Sanctio, si prohibuit Procuratoribus aliquid pro se ipsis petere, quia hoc summoperé consentaneum est benè regulatæ politiæ, ut qui pro communi Bono, & interesse deputatur, & alimentatur, sua particularia quærere, non debeat.

39 Si autem loquimur de alio capite dictæ sententiæ, in quo P. Generalis demandavit Procuratori S. Egidij, ut consignare teneretur Secretario Generali Indiarum omnes, & singulas Scripturas ad Indicas Provincias spectantes, præstito juramento, quod omnia consignasset, pariter manifestissima laborat injustitia, ex illa satis plana, & evidenti ratione, quod nemo de jure cogitur invitus proprias Scripturas, propriumque Archivium in manibus alterius reponere, cum tali casu privaretur naturali libertate, quod facere nequaquam permissum est ad tradita per *Amat. resolut.* 27. *num.* 31. *Rocc. Disput. Jur. select. cap.* 75. *num.* 12. *Card. de Luc. de Judic. disc.* 30. *sub num.* 15. *vers. Attamen Rota decis.* 709. *num. final. coram Merlino, decis.* 1091. *n.* 18. *in fine coram Coccino, decis.* 1052. *num.* 43. *coram Molin. tom.* 4. *& decis.* 491. *num.* 13. *coram Lancetta, tom.* 2. præsertim quia percutere possent præfatæ Scripturæ controversias cum PP. Observantibus, & hoc casu facilis esset subtractio, & ammissio earundem, quod omni ope cavendum est, ne accidat.

40 Cumque Definitorium totius Provinciæ S. Gregorij in Insulis Philippinis decreverit, ut omnes Scripturæ, aliaque Documenta ad eandem Provinciam spectantia, conservari, debeant in Conventu S. Egidij Matriti in capsula ad hoc destinata, quæ præsefert in fronte titulum Provinciæ S. Gregorij, sicuti patet ex resolutione ejusdem Definitorij relata in præsenti nostro *Summario num.* 5. Minister Generalis, alijque Superiores Generales Ordinis minimè immutare possunt, vel impedire, aut dilatare hujusmodi resolutionem ex litterali *Constitutione San. mem. Urbani VIII. & ex Statut Ordinis* superius relatis.

Quare &c.

P. Didacus Maurus Adu.
Hercules Maria Renatius.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum , & Regularium

Emo ; & Rmo D. Card.

F I R R A O

Præfecto , & Ponente

Indiarum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum.

P R O

RR. PP. Discalceatis Insularum Philippinarum.

C O N T R A

Rmum P. Commissarium de Curia Hispanum.

M

Restrictus Facti , & Juris.

26

Typis de Comitibus 1743.